

totius nomine, demigrarunt. Puellam annos natam novem, oppressam gravi morbo, parentes abjecerant. Cum enim artis medicæ prorsus ignara natio sit, ægrotos facile desperat, neque cibo, aut curatione ulla, juvat. Depositam Patres à parentibus postularunt, ut expiarent lymphæ salutari. Ultro illis permissa est, quippe quæ instar mortui canis haberetur. Abductam in mapale separatim curavere sedulo: edoctam, quantum erat necesse; baptizatam, ac nona post luce mortuam, cœlo intulerunt. Eadem Sociorum caritas lætiores exitum in juvene sortita est. Ejus pater Membertous, primus omnium, uti narrant, barbarorum, cum è Gallia navigatum illuc fuit, in Christianorum numerum venerat; homo strenuus, & omnium popula-